



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 7. De Detractione

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

Articulus Nonus.

De Detractione.

1. **D**etractio est alienæ famæ injusta ablatio, sive imminutio per verba occulta. Dicitur (*per verba occulta*) ut distinguatur à diffamatione, contumelia vel convitio, sive exprobratione publica alicujus criminis. Porro fieri solet quatuor modis directis. 1. Crimen falsum proximo imponendo. 2. Amplificando crimen verum. 3. Crimen verum sed occultum publicando. 4. Sinistre interpretando alterius factum. Indirecti modi sunt: 1. Si ex dissimulatione nostra, fama alterius injuste periclitetur. 2. Consistit in quorundam frigida laudatione, vel permixtione vitiorum alienorum, ex quibus sæpe plus decrescit honor laudati, quam si de eo male loquerentur. 3. Dum quis negat aut minuit alterius laudabile factum.

2. Detractio vero ex genere suo est peccatum mortale, & eo gravius quo majoris boni est destructiva, nimirum famæ, quæ homini est vita charior. Sumitur ex
Scriptu-

Scriptura Psal. 49. v. 20. *Sedens (inquit) adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium Matris tuæ ponebas scandalum hac fecisti & tacui.* Et postea vers. 21. *Arguam te (inquit) & statuam contra faciem tuam.*

3. Detractor autem & infamator injustus, tenetur ad restitutionem famæ. Quia ut bene *S. Aug: Epist: 54. ad Macedonium.* *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Porro modus restituendi famam, judicio prudentis viri vel Confessarij est relinquendus. Si enim detractor vera imposuit, non potest dicere se mentitum: Si falsa: etsi possit dicere se mentitum, sæpe tamen non expedit. Videndum igitur si laude, officio contrario, beneficio, promotione, vel aliqua congrua compensatione fieri possit. Unicum monetur: quod quamvis universum genus humanum, hoc vitio linguæ sit plenissimum, paucissimos esse, qui, ut debet fieri, illud æstimant, pauciores qui debite de iis conterantur, vix ullos qui famam restituant.

4. Petes: quid censendum de audien-

te detractorem. R. Quicumque detractorem audit, ita ut detractiōni aliquo modo cooperetur, sive adulando, sive excitando, sive confirmando, aut ex placido auditu occasionem præbendo, in re gravi peccat mortaliter. Unde *S. Bern: lib. 2. de Consider: sub finem:* inquit: *Detrahere aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.* Non tamen qui detractorem audit, tenetur illum reprehendere, aut contradicere, vel positive pro fama alterius defendenda, contra ipsum agere, sed sufficit, ut quovis modo se nolentem exhibeat, aut ostendat dicta illius sibi non placere, nisi tamen sit superior, aut persona gravis, quæ sua reprehensione possit detrahentem reprimere.

TITVLVS XX.

De Agricultura.

Articulus Primus,

De Agricultura obligationibus.

- I. **N**ecessitatem Agriculturæ demonstrat, ejus ab initio naturæ humanæ crea-